

## Une tentative de meurtre

Agrippine, mère de Néron, se repose sur son bateau quand se produit un incident qui n'est pas fortuit ...

V. <sup>1</sup>Noctem sideribus inlustrem et placido mari quietam quasi conuincendum ad scelus dii prae-  
buere. <sup>2</sup>Nec multum erat progressa nauis, duobus e numero familiarium Agrippinam comitantibus, ex quis Crepereius Gallus haud procul gubernaculis adstabat. Acerronia super pedes cubitantis reclinis paenitentiam filii et reciperatam matris gratiam per gaudium memorabat, cum dato signo ruere tectum loci multo plumbo graue, pressusque Crepereius et statim exanimatus est : Agrippina et Acerronia eminentibus lecti parietibus ac forte ualidioribus quam ut oneri cederent protectae sunt. <sup>3</sup>Nec dissolutio nauis sequebatur, turbatis omnibus et quod plerique ignari etiam conscios impediabant. <sup>4</sup>Visum dehinc remigibus unum in latus inclinare atque ita nauem submergere ; sed neque ipsis promptus in rem subitam consensus, et alii contra nitentes dedere facultatem lenioris in mare iactus. <sup>5</sup>Verum Acerronia, imprudentia dum se Agrippinam esse utque subueniretur matri principis clamitat, contis et remis et quae fors obtulerat naualibus telis conficitur ; Agrippina silens eoque minus adgnita (unum tamen uulnus uero excepit) nando, deinde occursum lenuncolorum Lucrinum in lacum uecta, uillae suae infertur.

Tacite